



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Stavrologia Coloniensis

Gelenius, Aegidius

[Coloniae Agrippinae?], [ca. 1636]

XXXI. † In Campo Tvitiensi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64564](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64564)

curat Deus, quod prudens auditor non inutiliter secundum hanc similitudinem contempletur. Nam signum Crucis, vel imaginem in recordationem Saluatoris Christianus veneratur populus, subleuatam ante oculos sicut Moyses in deserto serpentem aneum pro signo exaltauit, imitari honore secundarij debent pastores, quos spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam suo sanguine acquisiuit, vt vice Christi honorentur, quos vicem constat agere Christi, nimirum non humana presumptione, ad Dispensationem domus Dei sunt intrudendi, sed electione Dei vocandi, vt videlicet ille constitutatur, quem Deus elegerit, quem vt praesse mereatur, Deus velut operarium suum dignum spiritu sancto demonstrare dignatus sit. Recte ergo huius veritatis, huius diuinae electionis meminisse nos facit res ipsa quae poenè similiter accidit, dum non quaecumq; lignum, non quodcumq; volebant artifices, sed quod nutu diuino monstratum est, ad huius modi operis effectum perducere potuit.

XXXI. ✠

IN CAMPO TVITIENSI.

A NNO 1630. 25. Augusti, famuli duo
agrestes, cum Tuitio poti nonni-
hil,

hil, in Westhouen vicum suum, domum redirent, de pedum pernecitate inuicem se prouocarunt, proposito brauiio mensuræ vini, pactaque cursus metâ, fixâ in Tuitiensi campo insigni cruce lapidea. Horum alter, Otto Bocksprung, Syndromum suum victor anteuolans, priorq; metam assecutus, in scabellum siue podium illud, cui sub ambarualis processuionis statione, V. Eucharistia imponi consuevit, proficiens, temeraria manu crucem altiùs apprehendit. Nec mora profanam ad vocem est contactum, solutum extemplo desuper suffixi Saluatoris è lapide ponderosum caput, vna cum præfixo titulo, in Ottonis verticem tanra vi prolabitur, vt obtritum illi cerebrum pariter, & oculum è sedibus suis elideret, excussoque hominis sanguine Crux ipsa largiter tingeretur. Enectus prope modum huiusmodi casu atq; elinguis, delatus quidem Tuitium est sub chirurgi curam, sed biduò post, quod insanabile vulnus esset, hominem exanimauit. Constant hæc publicis ex actis Tuitiensibus, & institutæ desuper in-

quisitionis certissimis tabulis. Ac nolim ego hic quidem Diuini Iudicij abyssum, censura mea vestigare (potuit enim fortuito casu accidisse) commone-ri videmur nihilominus, vt in Diuinæ Maiestatis picta, sculptaue signa, ne quid leuius ausu vlllo temerario admit- tamus.

XXXII. XXXIII.

XXXIV. ✝

BRAWILARENSIS.

*Segmē
ligni
Domi-
nici in
Bravvi-
ler.*

*Cruce
aurea
in Bra-
vviler.*

IN Abbatiali, Sanctorum Nicolai & Medardi Bravvilarenfi Basilica, Altare maius, particulam ex Dominicæ Crucis ligno complectitur, aureaque ibidem Crucula conseruatur, qua Ioannes Pontifex, Beatissimos Coniuges, Ezonem Comitem Palatinum, & Mathildem Ottonis Tertij sororem donauit. Tertia ibidem Crux est ex Thonaburg castro, humeris iam dictæ Beatæ Mathildis eò translata. Cum enim, vt auctor est G. ad Beatum Wolphelmū, in msc. vita fundatorū Bravvilerensium,

Bea-